

plenam securitatem at [o:ac]²⁾ securum conductum. concedimus per presentes. anno jam instanti. ad nundinas nostras skanore veniendi. ibidem standi. ac negociandi. et ad propera [o:propria]³⁾ redeundi. pro nobis. nostris omnibus singulisque. aliquid facere. vel omittere volentibus. causa nostri. prouiso tamen quod nobis nostrum debitum telonium et alia nostra regalia. nobis iuste debita. ibidem soluere teneantur secundum iuris exigenciam. veluti consueuerunt ab antiquo. in cuius rei testimonium. sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Slaulosie anno domini millesimo CCC. vicesimo octauo. sexta feria proxima. ante assumptionem beate marie virginis. Teste domino Gherardo comite, Avunculo nostro dilecto.

2675.

1328 d. 16 Aug.

Obslo.

Konung MAGNUS uppgifver beloppet af den Sexårstionde, som, på grund af Påfven Clemens V:s förordnande, blifvit insamlad i Norge och Sverige, med särskildt anförande af hvarje stifts bidrag; af hvilka medel påfliga Legaterne Johannes de Serone och Bernardus de Ortulis, i öfverensstämmelse med Påfven Johannes XXII:s tillåtelse (se N:o 2573), lemnaat Konungen hälften till krigshjelp mot de hedniska Ryssarne och Karelerne, sedan likväl Legaterne och Arkedjeknen i Obslo fått ersättning för mödan med gårdens insamlande.

Vidim. afskr. på perg. i K. Riks-Arch. *)

Vniuersis presentes litteras inspecturis. MAGNUS dei gracia. Norwegie. swecie. gotorumque rex. salutem in domino sempiternam. Notum facimus vniuersis. quod cum sanctissimus in christo pater dominus. Johannes papa vicesimus secundus. pro expungendis inimicis christi Paganis. videlicet Rutenis et Carellis. regnorum nostrorum presertim norwegie conuicinis medietatem decimarum sexennialium ex precepto felicitis recordacionis. domini Clementis pape quinti collectarum in Regnis nostris predictis, et eciam colligendarum. si que ibidem colligende restarent nobis concesserit graciose, Pro quibus quidem decimis leuandis et recipiendis. et medietate eadem nobis assignanda. prefatus dominus Johannes papa XX:mus secundus. venerabilibus et discretis viris. fratri Johanni de serone. priori predicatorum de fygiacho, et Magistro Bernardo de ortulis. Rectori ecclesie de noualibus. Caturcensis. et electensis diocesium plenam et specialem concesserit potestatem, Quarum decimarum sexennialium leuatarum et receptarum per commissarios supradictos. Summa ascendit de ecclesia et dyocesi Nidrosiensi ad quatuor milia. ducentas octo marchas et duas oras parue monete noricane. In qua totali summa fuerunt incluse sexcente septuaginta septem. marche argenti

*) Ur en af Konung Magnus d. 9—15 Sept. 1352 utgifven vidimation, upptagande jemväl en anteckning af Legaten Johannes de Serone om halfva gårdens aflemnande till Konungens ombud, daterad Avignon d. 17 Juli 1329, — allt »Scriptum sub sigillo Capituli Ecclesie strenginensis» (utan årtal) och försedt med kapitlets sigill.

computate et calculate pro duobus milibus. ducentis marchis et duabus. oris parue monete noricane. Item septem ore de auro computate et calculate pro viginti octo marchis parue monete. Residuum uero vsque ad predictam maiorem summam. videlicet III:or milium ducentarum octo marcharum et duarum orarum fuit in dicta parua moneta noricana. Item de Ecclesia et dyocesi bergensi. cuius totalis summa ascendit ad duo milia septingentas marchas dicte parue monete. In qua totali summa fuerunt incluse. nonaginta sex. marche argenti computate pro trecentis sexaginta marchis. Item octoginta floreni auri computati pro octoginta marchis dicte parue monete. Residuum uero. vsque ad dictam summam. videlicet duorum milium et septingentarum marcharum. in dicta parua moneta fuit, Item de ecclesia et dyocesi granlandensi(!), cuius summa ascendit, ad duodecim libras. et quatuordecim solidos grossorum turonensium. Item de septuaginta duabus marchis sterlingorum receptis de decima Ecclesie Orcadensis. Cuius totalis summa ascendit ad ducentas quinquaginta sex marchas sterlingorum. Item de quingentis decem octo marchis et tribus oris parue monete noricane receptis de decima ecclesie stauangrensis, cuius totalis summa mille quadringente nonaginta quatuor marche. Item de ecclesia et diocesi osloensi, cuius totalis summa. ascendit ad quinque milia duas marchas cum dimidia. et dimidiam oram parue monete noricane In qua totalis [o:totali] summa. fuerunt incluse quadringente nouem marche tam in sterlingis. quam in fragmentis argenteis computate pro mille sexcentis quadraginta et sex marchis dicte parue monete. Residuum uero fuit vsque ad dictam summam videlicet quinque milia. duas marchas cum dimidia et dimidia ora dicte parue monete vsualis. Item de ecclesia et diocesi hamarensi. cuius totalis summa ascendit vsque ad mille quingentas et tres marchas. parue monete noricane. In qua totali summa. fuerunt incluse sex marche argenti computate pro decem et octo marchis dicte parue monete noricane. Residuum uero usque ad dictam summam videlicet mille quingentarum quinquaginta trium marcharum fuit in dicta parua pecunia noricana. que omnia suprascripta, recepta et leuata. fuerunt ad marcham noricanam. Item de ecclesia et diocesi ypsalensi. in Regno Swecie cuius decime totalis summa ascendit ad tria milia. octingentas triginta duas marchas numeratas ad modum swecie cum duabus oris dicte monete, que quidem summa pecunie fuit commutata in argentum. cuius argenti summa ascendit, ad septingentas septuaginta marchas ponderatas. Item de Ecclesia et diocesi strenginensi. ascendit summa ad mille septingentas. septuaginta septem marchas numeratas ad modum swecie. In qua totali summa. fuerunt incluse centum triginta marche in fragmentis argenti ad pondus de stocholmis. que computate fuerunt pro sexcentis quinquaginta marchis

numeratis dicte monete. Residuum uero usque ad dictam summam fuit in parua pecunia sweuicana. Item de ecclesia in diocesi lincopensi excepta insula duntaxat gutland. cuius summa ascendit ad tria milia. septingentas nonaginta et vnā marcham dicte pecunie sweuicane, In qua totali summa fuerunt incluse trecente vndecim marche et sex ore argenti. Item duodecim floreni auri sex libre tredecim solidi grossorum turonensium. due libre tres solidi. cum tribus denariis sterlingorum. viginti duo solidi et octo denarii boemorum. Item due marche et vna ora cum dimidio solido auri. que omnia computata fuerunt in dicta totali summa pro mille nongentis quadraginta tribus marchis quinque oris et octo denariis numeratis. Item de ecclesia et diocesi vexionensi. cuius summa ascendit, ad ducentas sexaginta duas marchas. et sex oras dicte pecunie cum sedecim denariis numeratis, In qua totali summa fuerunt incluse quatuor marche et vna ora argenti viginti octo solidi. et quinque denarii grossorum turonensium. quadraginta vnus solidus et quatuor denarii sterlingorum. nouem solidi et quatuor denarii argenti de betonia. que omnia fuerunt computata in dicta totali summa pro octoginta quinque marchis numeratis et sex oris monete sweuicane Item duodecim ore antique monete sueuicane. Residuum uero vsque ad dictam summam fuit in pecunia sueuicana. Item de ecclesia et diocesi Arosiensi. cuius decime summa ascendit ad mille centum decem et septem marchas numeratas cum dimidia In qua totali summa fuerunt incluse decem et septem marche in fragmentis argenti computeate pro septuaginta sex marchis cum dimidia dicte parue monete sueuicane. Residuum uero vsque ad dictam totalem summam fuit in pecunia sueuicana. que omnia suprascripta recepta et leuata fuerunt in regno suecie et ponderata ad pondus de stocholmis. Item de ecclesia scarensi et diocesi. cuius decime summa ascendit ad. quatuor milia centum triginta tres marchas cum quinque oris numeratis. In qua summa fuerunt incluse trecente viginti marche cum quinque oris in vasis. et fragmentis argenti computeate pro mille sexcentis et tribus marchis numeratis cum vna ora. Item sexaginta septem libre quatuordecim solidi. et tres denarii sterlingorum. qui sterlingi computati fuerunt pro quingentis marchis et sex oris cum dimidia numeratis et sex denariis sueuicani [ɔ:— is]. Residuum uero usque [ad] dictam totalem summam fuit in dicta parua pecunia sueuicana. quarum omnium dictarum summarum receptorum et leuatarum. prefati commissarii. medietatem secundum mandatum apostolicum nobis assignarunt. Et sine diminutione qualibet. integraliter traderunt, Pro expensis uero factis in deducendo pecunias extra regnum suecie. pro parte nobis contingente, restituimus predictis commissariis sexaginta tres
marchas

marchas cum dimidia de pecunia sueuicana numeratas ad modum suecie. Item pro expensis factis in colligendo decimam ecclesie et diocesis osloensis pro parte nobis contingente dari fecimus domino thyrkillo Archipresbitero osloensi quinquaginta marchas ponderis et parui numismatis noricani. In quorum premissorum omnium testimonium. sigillum nostrum presentibus duximus apponendum. datum Osloye Anno domini M^o.CCC^o. vicesimo octauo. In Crastino Assumpcionis beate virginis marie.

2676.

1328 d. 5 Sept.

Telge.

Drotset KNUT JONSSON kungör, att på mötet i Telge sådan öfverenskommelse blifvit träffad mellan Helsingarne och Birkarlarne, att vid Helsinglands norra gräns, som sträcker sig till Ule elf och Ule träsk, må, i öfverensstämmelse med Konung Magni förut utgifna bref, bosätta sig hvem som helst; att de som fått tillåtelse af Fogden öfver Helsingland att här nedsätta sig, vare sig Birkarlar eller andra, skola vara fria från skatt, intildess Konungen uppnått myndig ålder; att nämnde Fogde skall bland dem skipa lag och rätt; att ingen må hindra Lapparne i deras jagt, eller ofreda de Birkarlar, som besöka nämnde Lappar, — allt under Konungens minderårighet.

Peringskölds saml. afskr. Miscell. Dipl. *)

Nos KANUTUS JOANSSON, illustris Regis Swecie ac Norwegie Dapifer, tenore presencium ad publicam deducimus nocionem, quod Anno Domini M. CCC. vicesimo octauo, die Lune, ante natiuitatem beate Marie Virginis proxima in Parlamento (!) Telgis habito inter Helsingos ex parte vna, et Bircharlaboa ex parte altera, in presencia nostra taliter extitit placitatum, videlicet quod extrema pars Helsingie versus aquilonem, que ad amnem dictum Wlv et stagnum Wlvthræsk vsque protenditur, inhabitari et vtique coli debeat absque impedicione et inquietacione cuiusquam secundum tenorem litterarum Domini nostri Regis super hoc antea collatarum, quas semper in suo vigore conuenit inuiolabiliter obseruari, et quibus per presentem placitacionem in nullo penitus derogetur, ab hiis tamen qui per officialem Domini nostri Regis in Helsingia constitutum illic ad habitandum loca susceperint siue Birkala fuerint, siue alii quicumque tributum antequam Dominus noster predictus legitime annos etatis attigerit, nemo leuare debeat. Qui eciam officialis inter illos qui illic ceperint habitare de negociis emergentibus jurisdictionem habebit et iusticie faciet complementum. Item extitit placitatum quod homines siluestres et vagos vulgariter dictos Lappa in suis venacionibus nullus debeat impedire, nec eciam prefatos Birkarlaboa ad eosdem Lappa accedentes, apud ipsos comorantes, vel ab eis cum suis rebus denuo reuertentes, Articulo isto sicut et

*) Ur en af Konung Albrekt d. 17 Juni 1377 utgifven vidimation, hvilken i orig. på perg. fanns i Riks-Arch. före Slottsbranden 1697.